Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32270
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

firmo pre nobis est cavendum, ne lucro commissi talenti neglecto ab aeterni gaudii arceamur ingressu. Quicumque a sancta matre ecclesia in fide sanctae trinitatis baptizati sumus, ac eiusdem fidei sacramenta cognovimus, donum intelligentiae assecuti sumus, procul dubio talentum a domino percepimus. Sed si intra absconditimus, si bona quae intelligimus pro possessione karitatis proximis non indicamus, de accepto negotio lucrum facimus, si ea quae intelligimus et audire volentibus fideliter intimamus. Digne itaque hodie sanctus iste commisso laudis celebratur preconio, qui suo domino talentum reportavit cum lucro. Ipse olim inter coapostolos constitutus audire a domino meruit: Beati qui vident quae vos videtis. Hodie multum beatior cum ceteris sanctis cantare feliciter potuit: Sicut audivimus sic vidimus in civitate dei nostri, in monte sancto eius. Vere felix ac beatus, quia ut idem cecinit psalmista, beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Quia hic Christi discipulus sorte ut paulo ante prelibavimus est electus, congruit huic nomini Christiani vocabuli honore preditus, et maxime graduum dignitate in ecclesia prelatus. Quod sors vel hereditas latine, cleros dicitur grece. Unde dicuntur clerici, qui in sortem dei delegati, ab omni mundane ambitionis actu student esse alieni, ut in domo domini merentur fieri heredes quidem dei, coheredes autem Christi, ore et corde cantantes illud psalmigraphi: Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi. Igitur dilectissimi si ad hanc hereditatem pro Christo successu volumus pervenire, interim in hac convalle lacrimarum boni operis effectu curremus nos exercere. Hodiernae festivitatis diem vel sancti venerationem debita cum laude celebremus, ut eius precibus et meritis apud eum adiuvemur, qui mirabilia in sanctis suis operatur, Ihesus Christus dominus noster, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat deus, in secula seculorum. Amen.

G
v. Kal. Mai.

Vita sanctae Waltpurgae virginis.

Cum igitur sacra virgo Waltpurgis se tota in dei amore firmasset, et mundum cum eius concupiscentia superasset, fide plena, moribus insignis, karitate referta, sapientia decorata, castitate geminata, misericordia redimita, humilitate fulcita, et omnibus virtutibus adornata, vocanti domino mortis accepto compendio, acceptura remunerationis premium obviavit, et ex huius mundi lacrimosa voragine felice fine discessit. Et in eodem monasterio quo in suo proposito Christo fuerat, haut sine maximo lamentantium eiulatu officium sepulturae mortalitatis accepit. Ubi cum aliquantum temporis corporea compaginatione quiescens, filios quos superstites in mundo reliquit beatis intercessionibus auxilium prebuit, et ut mater filios educavit. Parvo itaque interposito tempore quo sacri virginis cineres in eodem loco tellus avara retinuit, contigit decedentibus prioribus eiusdem ecclesiae pastoribus Othgarium venerabilem virum Eistetensem kathedram meruisse. Cui cum nimium quae ad decus pertinerent honestatis, idem monasterium quo beate monialis ossa tegebantur excoleret, quadam nocte corporis quiete sopitum, dum terrae eum tenebrae silentium ministrarent, huiusmodi eum alloquio virginem compellasse narratur: Cur inquit Othger, qui presul dici et esse meruisti, domum dei in qua corporis sopore quiesco, et sepulcrum in quo carne reposita ultimum iudicii diem expecto, inhoneste hactenus tractare voluisti?

Nam fimorum huc coeuntium cotidie lutulentis pedibus calcor, et indecentibus vestigiis premor. Sciens igitur certo, quod tale aliquod indicium pandam, quod non recte te erga me et domum dei egisse comprobas, ut si reum te fore cognoveris, veniam merearis. Quod modico tempore expleto, rei probavit eventus. Nam statim in proximo diu erecti fuerant parietes eiusdem fabricae prominentes, et tabulatum spaciosa compagine sequenti die petentibus muris debebat apponi. Subito sed tamen noctis initio murus aquilonaris terra tenus sese revolvens, perpetuum egit horrendum, terroremque haud minimum tam domesticis quam familiaris, quae cunctis circumquaque manentibus inauditum incussit. Facto autem mane cum ad huiusmodi spectaculum omnes pavidi convenissent, custos quoque qui ibidem vigilaverat, Reginfridus nomine, calle directo presuli perculsus tremulis labiis nunciavit. Qui intelligens visionem quae prius in sopitis fuerat esse completam, cum suis illo usque tetendit, atque cum omnibus pene comprovincialibus ecclesiam reposuit, quam et sacro chrismate dedicavit. Deinde cum in eodem transissent dies, memoratus antistes Waltonem et Adalungum archipresbiteros illuc sedulus destinavit, Ommonem quoque cum sanctimoniale Leubila ex monasterio in Ovvenheim cum eis abire precepit, ut sacros cineres virginis cum summa diligentia elevarent, ac cum hymnis et psalmorum concentibus ad Eistetense cenobium deportarent. Huius vero missa felicia pro sponso tunc prosplen-